

36d

37
Ba

George Frederic
de Booska

+

DISPUTATIO JURIDICA,
De
ACTIONUM IN
HEREDES TRANS-
ITIONE

Quam
Favente Numine Trifagio,
Permissu

Venerandi Ictorum Ordinis,
In Electorali Brandenburgicâ,
Sub PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi & Amplissimi,

Dn. FRIDERICI de JENA,

J. U. Doct. ac Professoris Publici

Ordinarii,

Fautoris, Promotoris & Præceptoris sui perpetuò
colendi,

publicè defensabit

J. CHRISTOPHORUS NEANDER,

Luccâ-Lufatus.

ad diem 3. Kalend. Maij. M DC LIV.

FRANCOFURTI,

Excudebat ERASMUS RÖSNERUS.

Viro Clarissimo,

Dn. M. ALBERTO ROBERTSON,
S. S. Theolog. Candidato, in Academia
Wittebergenfi, dignissimo,

ut &

*Eximiis, Præstantissimis ac Eruditissimis
Juvenibus,*

Dn. ERNESTO ROBERTSON,
Dn. JOANNI SCHIRMEISTERO,
Dn. LAURENTIO Glävenaw /
Dn. THEODORO MEIERO,

Legum Studiosis, in illustri Viadrinâ,
cum primis industriis,

*Fautori, Amicis & Commilitonibus meis,
honorando & dilectis,*

D. D. D.

Auctor & Respondens.

J. N. D. N. J. C.

Nobilem Juris Doctorum cathedram consensuris, ibique non minus frugiferam ac necessariam *Actionum Transitionis in Heredes* materiam Eruditorum judicio exposituris, commodissimè ita tradi eadem posse videtur, si proram puppimq; in Cælestis Numinis prius collocemus auxilio; probè scilicet perpendentes, eam, post deplorandum Paradisi delictum, esse naturæ humanæ depravationem, ut maximis periculis, gravissimisque obnoxius sit erroribus is, quem Divina Providentia sagaci non ornet ingenio, cujus quippe sine lumine nihil est in homine. *Gvevarr. part. 2. Epistol. & Dissert. pag. 23. P. Ostermann. vol. 2. Colleg. jur. Colon. disp. 35. th. 1.* Ab Eo itaque, à Quo omnes Actiones laudabiles in homines transeunt, ad omnia consilia actusq; nostros semper progrediamur *l. 2. C. de off. Præf. Prætor. Afric.*

II. Neutiquam verò abs re fortassis erit, si, priusquam rem ad rationis tribunal revocemus, mentis aciem ad vocum significationem paulisper flectamus, quandoquidem rerum quidem potior, verborum autem prior tractatio tam apud Philosophos, quam apud Jurisperitos esse solet & debet. *Lud. Viv. lib. 1. de caus. corr. art. Sagittar. exerc. Log. 6. quest. 1. Thomm. in Orat. de Libert. Philosoph. Vernul. cap. 10. proæm. Inst. Moral. Scriban. cap. 1. Philosoph. Christian. Zeisold. cap. 1. parascev. ad Vindic. præcept. 3. Gassendus lib. 1. exerc. paradox. 1. l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. ff. de reb. cred. l. Labeo 7. S. 2. ff. de supell. legat. l. 1. S. 2. ff. Quod quisq; jur. l. non aliter. 69. ff. de legat. 3. l. 1. S. licet ff. de exerc. act. Osterm. d. l. vol. 2. disp. 1. th. 1.* Quamvis enim Leges nostræ Prisciano & Orbilio, ferulæ sceptrum vibrantibus, non subjaceant, ne pestis grammaticalis in intimos Regiæ Disciplinæ serpat aditus; id tamen de criticâ & nimis anxiam verborum investigatione, quæ Domitiano, qui propter molestam vocum indagacionem furiosi nomen fertur sortitus, tribuitur, non de usuali earum explicatione intelligi oportere adserit *Osterman. d. l. disp. 6. th. 1. & disp. extraord. 4. c. 1.* Nam sicuti pueruli Abcdarii

antè literas noscere, quàm easdem conjunctas legere, atque adeò
à primis elementis ad syllabas transcendere; à syllabis ad dictiones
demum pervenire debent: ita cuius rem propositam accuratiori
mentis staterà pensituro convenit vocabulorum ante omnia rati-
onem habere, præprimis cum absurdum sit determinare prius vel-
le, quàm terminos intelligere. *Sam. Smidt. lib. 1. adit. ad Logic. cap. 1.*
Angel. conf. 110. pr. Mantic. de conject. ult. vol. lib. 1. tit. 1. n. 1. Hippol.
de Marsil. in l. qui falsam monet am n. 44. ff. ad Corn. de fals. Dec. conf.
473. num. 5. VVes. vol. 1. conf. 52. num. 46. Bronch. ad l. 34. ff. de R. J.
Gædd. ad rubr. pr. de V. S. Carpzov. cent. 1. decis. 10. & 14. n. 16.

III. Voculam igitur *Actionis* quod adinet, non sumi-
mus eam h.l. (1) Physicè, pro quavis operatione humanâ etiam aliis
rebus, tum in animatis ut deorsum tendere; tum animatis ut audire
competente: (2.) Ethicè, pro actu morali à voluntate & intellectu
ad bonum vel malum determinato aut determinando, sive habitum
præcedat, sive sequatur eum vid. *Hornæj. lib. 3. Phil. Mor. c. 4. Scheurl.*
dis. Eth. 9. th. 47. Burgersdic. c. 5. Id. Phil. Moral. Sinap. c. 6. dissert.
Eth. Gutk. disp. Pract. 3. th. 3. & 4. Geilfus. exerc. Eth. 3. Præ. exerc.
Ethic. 15. theorem. 1. Henric. Nicol. exerc. 3. Gymnas. Ethic. thes. 3. & 4.
Itter. lib. 2. Synops. Philos. Moral. c. 3. Sed (3.) legaliter, non tamen
generaliter prout etiam testationes, conventiones, cognitiones
extraordinarias, exceptiones & quosvis actus legitimos, delicta iti-
dem complectitur & eorum accusationes *l. heredes 21. S. ult. ff. Qui*
restam. fac. poss. l. cum antiquitas 28. C. de testam. l. 1. S. 3. ff. de pact.
l. 1. S. 10. ff. de extraord. cogn. l. 1. ff. de Except. l. in exceptionibus 19. ff.
de probat. l. actionis 37. ff. de O. & A. l. 1. ff. de offic. jurid. l. hæc ratio 3.
S. sed si debitorem 12. ff. de don. int. vir. & ux. l. 1. ff. de crim. Stellion.
l. in SCtum 15. S. si propter, 3. ff. ad SCt. Turpill. l. si servum 5. ff. si ex nox.
caus. ag. c. primâ 6. caus. 16. qu. 3. c. 1. X. de major. & obed. Gl. ad S.
1. Instit. de adopt. Godofr. ad l. 1. C. de pœn. jud. qui mal. jud. nec
specialissime pro personali saltem persecutione *l. actio 28. ff. de*
O & A. l. & uno 18. S. 1. ff. de acceptil. S. 2. Instit. Quib. mod. toll. oblig.
Gl. ad pr. Instit. de act. Gædd. ad l. 34. n. 2. & ad l. 178. S. 2. num. 1. ff.
de V. S. VVesenb. in parat. ff. de Senator. & de O. & A. n. 10. ibiq. Bachov.
in not. Vult. lib. 2. Jurispr. Rom. cap. 4. Coras. lib. 6, miscell. jur. civil.
cap. 5.

cap. 5. P. Greg. part. 2. syntagm. jur. univ. lib. 32. cap. 2. num. 2. & lib. 21. cap. 8. num. 9. Hillig. in Donell. Enucl. vol. 2. lib. 19. cap. 1. lit. C. Forster. part. 2. disp. 1. th. 1. Biccus sect. 5. rer. quotid. §. 2. Nicaf. ad §. 1. Instit. de Act. num. 1. Zoesius in comm. ff. de O. & A. num. 48. sed *specialiter* quatenus denotat omnes postulationes civiles, sive sint in rem sive in personam pr. Instit. de Act. l. actionum 25. pr. ff. de O. & A. ibiq; Dd. non solum actu intentatas, verum quoque intentandas, modo in personam Creditoris sint radicatae Bachov. disput. 1. de Action. thes. 25. Hâc consideratione Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur; nec aliter distinguitur ab ipso jure, ex quo fluit, quam quod isthoc absolutè competere dicatur; Actio verò ad judicium referatur: Illâ est ipsa judicialis ejus, quod sibi debetur, instituta persecutio. Struv. exerc. ad Pandect. 38. thes. 2. Tim. Fab. disp. annivers. 27. thes. 10. conf. Bachov. ad pr. Instit. de Action. Pet. Fab. 2. semestr. 25. Loriot. tr 1. de apic. jur. de action. axiom. 2. Vinnius lib. 3. Jurispr. Contract. cap. 27. & 40. Nicaf. ad pr. Inst. de Action. num. 3. Donell. lib. 6. comm. jur. civ. cap. 2. & lib. 19. c. 1. ibiq; Hillig. lit. D. Daniel Brunner. in disput. de Action. Jenæ Anno 1651. habit. thes. 5.

IV. *Heredis* (sive ab ære, sive ab hærendo, sive ab hero corrivati VVes. in parat. ff. de hered. inst. num. 2. Cujac. lib. 5. obs. cap. 10. Ostermann. vol. 2. Colleg. jur. Coloniens. disp. 13. assert. 10.) porro vocabulo accipimus eum, qui hereditatem seu bonorum universitatem, quam defunctus habuit tempore mortis, suo nomine est adeptus. Hereditatem siquidem non tam causaliter pro jure succedendi, aut formaliter pro jure illo in re universali, quod heres ex titulo accepit, cum Gajo in l. nihil 24. ff. de V. S. Africano in l. bonorum 208. Pomponio in l. hereditatis 119. Ulpiano in l. pecunie 178. §. 1. ff. ibid. Paulo in l. in pari §. 1. ff. de R. J. Juliano in l. heredit. 62. ff. eod. quam materialiter pro universitate sc. rerum ac jurium a defuncto relictorum intellectam volumus cum Ulpiano in l. regulariter 9. ff. de hered. petit. Hermogeniano in l. heredit. 61. ff. de adqu. rer. domin. & Justiniano §. 1. Inst. de reb. corporal. & incorporal. Gædd. ad d. l. nihil. 24. num. 9. Sunt enim jure civili proditæ ejusmodi res universales, seu rerum universitas i. e. totum aliquod collectivum, seu massa

bonorum, non minus ex oneribus & incommodis vel ære alieno, quàm ex commodis vel ære suo, licet rebus longè à se invicem alienis conflata vid. Bachov. vol. 2. ad Treutler. disput. 12. th. 1. lit. A. & in not. ad parat. Ves. de hered. petit. num. 2. it. de hered. Instit. num. 2. Strauch. disp. jur. 10. Thes. 2. & ad tit. de R. J. disp. 9. th. 3. & 4. Carpz. decis. 61. num. 6. cent. 1. Donell. lib. 2. comm. cap. 6. Zæsius in comm. ff. de inoff. testam. n. 114.

V. Non verò de primò tantùm herede loquimur, sed & ulterioribus l. qui per successionem 194. ff. de R. J. l. heredis 65. ff. de V. S. l. 170. eod. l. in annalibus C. de legat. l. sciendum 70. ff. de V. S. l. si quis. 7. in fin. ff. de acquir. vel omitt. her. l. ult. C. de hered. inst. & quidem I. suis, qui vivo Patre Domini quodammodo existimantur, cujuscùmque etiam sexus fuerint §. sui autem Inst. de her. qual. & diff. l. 4. C. de lib. præter. Osterman. vol. 2. Colleg. jur. Colon. disp. 13. thes. 6. & disput. 14. th. 4. adeò ut rerum paternarum dominium non tam de novo iis acquiratur, quàm in illos continuetur, liberâque administratio concedatur l. in suis 11. ff. de lib. & posth. §. sui autem 3. Inst. de hered. quæ ab intest. l. 1. §. qui sunt ff. si quis omis. caus. testam l. in suis ff. de suis & legit. possessionem tamen apprehendere vel aliàs sese immiscere debent l. cum heredes 23. ff. de acquir. & amitt. poss. l. 1. §. Scævola ait 15. ff. Si ù qui test. lib. es. jus. l. fin. C. de Edict. Div. Adrian. toll. l. denique 19. ff. Ex quibus caus. maj. l. cum quasi 30. §. sed etsi ff. de fideic. lib. Myns. cent. 3. obs. 38. Coras. lib. 6. misc. jur. civil. cap. 12. n. 1. Bronch. 3. antinom. 84. Wissenbach. disp. jur. civil. 25. thes. 5. Zæsius in comm. ff. de lib. & posth. num. 1 de acquir. & omitt. hered. num. 2. de vulg. & pupill. subst. n. 34. quod Creditores probare necesse habent Gail. lib. 2. obs. 128. cùm in dubio præsumantur obstinuisse, ubi de ipsorum damno agitur, quamvis alia sit præsumptio, ubi illorum subest commodum. Ideò enim beneficium abstinendi (quo obtento perinde habentur ac si heredes non fuissent §. sui autem & ibi Dd. Inst. de hered. qual. & diff.) Prætor suis concessit, ut potiùs Patris bona, quàm ipsius filii inquietarentur à Creditoribus & ut liberi ab oneribus hereditariis non spontè susceptis liberarentur Gutierrez. in repet. d. §. sui autem n. 100. quem refert & sequitur Perez. in prælect. C. de his qui ant. apert. tabb. n. 5. conf. Cavall. consil. 85. n. 13. Osterm. d. disp. 14. th. 25.

VI. Huc

VI. Huc refer quoque eos, qui sui quidem non sunt, suorum tamen jure utuntur ut *Emancipati*, qui olim à Prætoribus vocabantur, §. *emancipati* 9. *Inst. de hered. quæ ab intest.* hodiè cum suis una succedunt *Nov. 118. cap. 1. l. 4. §. sancimus C. de lib. præter. Ant. Fab. 29. error. 10. Vinnius lib. 1. Jurispr. Contract. cap. 65. Legitimi* sive per subsequens matrimonium §. *sui autem* *Inst. de hered. quæ ab int. §. ult. Instit. de Nupt. l. cum quis 10. & seq. C. de natur. lib. Nov. 74. & 89. Hartm. Pist. lib. 2. p. 1. q. 4. Gifan. de jur. feud. cap. 12. n. 16. Ritterh. lib. 1. part. feud. cap. 13. num. 3. Strauch. disput. jur. 12. thes. 19. Bachov. ad pr. Instit. de legit. agn. success. sive per Rescriptum Principis, non extantibus liberis aliis auth. item sine C. de natural. lib. Nov. 74. c. 2. Gail. lib. 2. obs. 142. n. 9. Myns. cent. 5. obs. 42. Adoptivi* l. *si arrogator ff. de adopt. §. sed ea omnia ff. de her. quæ ab int. def. l. cum in adoptivis §. sed ne C. de adopt. P. Greg. lib. 45. syntagm. jur. univ. cap. 5. Schultz. in synopsis. Inst. de success. liberor. legitim. Monachi* qui licet cessent esse in potestate Patris *Zæf. in comm. ff. de vulg. & pupill. subst. num. 58.* remanent tamen sui heredes & monasteria loco eorum succedunt *Gl. in l. si ex causâ §. 1. ff. de minor. l. Deo nobis 56. §. 1. & seq. C. de Episc. & cler. exceptis Francischanis & fratribus minoribus clem. exivi §. cupientes de V. S. Osterman. vol 2. Colleg. jur. Colon. disp. 12. thes. 7.*

VII. II. Necessariis servis, quos instituere solent, qui suspectas habent facultates, ut post mortem bona heredis potius nomine, quàm suo vendantur. Pro quo incommodo, ultra libertatem, quàm simul cum hereditate consequuntur, hoc commodi datur, ut ea bona, quæ post obitum Patroni lucrati fuerint, impetratâ separatione, sibi in totum adquirant & reservent, nec de iis Creditoribus ratione debiti contracti satisfacere compellantur, etiamsi in bonis hereditariis tantum non reperiatur, ut ex illis omne æs alienum persolvatur §. *necessarius 1. & ibi Dd. Inst. de her. qual. & diff. Zæf. in comm. ff. de adqu. & omitt. hered. num. 2. Osterm. d. disp. 14. th. 12. & 13.*

VIII. III. Extraneis quibusvis, vel lege succedentibus, vel judicio & voluntate defunctis *l. 1. l. ex factis 43. §. 2. ff. de vulg. & pupill.*

& pupill. subst. fiduciariis & fidei commissariis universalibus, respe-
 ctu hereditatis restitutæ §. restitutæ 3. § sed quia 7. § si quis unâ 9. ibi-
 que Bachov. Inst. de fideic. hered. l. 1. ff ad Sct. Trebell. P. Gregor. lib.
 42. syntagm. jur. univ. cap. 29. n. 14. Donell. lib. 7. comm. cap. 28. Man-
 tica lib. 7. de conject. ult. volunt. tit. 10. num. 31. VVissenbach. disp. jur.
 civil. 27. thes. 31. Zæsius in comm. ff ad Sct. Trebell. num. 43. Gæd. ad
 l. nomen 164. § 2. n. 2. ff. de V. S. Sutholt. dissert. 10. th. 93. dummo-
 modo hereditatem agnoverint & adierint. Effectus namque adi-
 tionis est, quod per eam adquiratur hereditas tota, etiamsi pars tan-
 tum sit adita; acrescit enim pars vacans, idque ne quis pro parte
 sit testatus pro parte intestatus l. qui ex duabus 53. ff de acquir. vel o-
 mitt. hered. & ibi Godofr. & quod jus hereditatis individuum, atque
 ita non judicandum diverso jure arg. l. eumqui 23. ff de usuc. & l. 7.
 ff de R. J. Zæsius in comm. ff de acquir. vel omitt. hered.

IX. Hactenus quæ dicta sunt ita demum procedunt, si
 heredes capaces fuerint testamenti factionis passivæ, idque tribus
 temporibus (1.) testamenti facti, quia nisi principium bonum sit,
 ex post facto vigor non acquiretur l. quod initio 29. l. penult. ff de R. J.
 § 1. Inst. de inutil. stipul. § præterea Inst. Quibus non est permiss. fac. te-
 stam. l. si expressim 19. ff de Appell. c. non firmatur de R. J. in 6to. (2.)
 mortis testatoris, quia tunc confirmatur testamentum arg. l. 1. ff de
 testam. l. quodsi 4. ff de adim. vel transfer. leg. l. cum hic status 32. § 3. in
 fin. ff de don. int. vir. & ux. Menoch. conf. 329. n. 5. Borell. conf. 36. n. 18.
 ref. Vult. vol. 1. conf. Marpurg. 25. n. 35. (3.) aditionis, quia per eam
 adquiritur jus, quod non potest competere incapaci l. si alienum 49.
 ff de hered. inst. Zæf. in comm. ff. de acquir. vel omitt. hered. n. 5. P. Greg.
 lib. 42. syntagm. jur. univers. cap. 22. n. 4. & lib. 43. cap. 1. n. 20. De-
 nique adprimè hîc observandum, quod Jcti quoque passim in-
 culcant, ubique terminos ponendos esse habiles, nec heredum
 nomine semper eosdem venire, sed pro diversitate voluntatis &
 intentionis disponentium, actionum transitoriarum, & habilitate
 succedentium, alios atque alios intelligi debere. Mantica lib. 8. de con-
 ject. ultim. volunt. tit. 14.

X. Facili igitur, ex jamjam allatis, colligi potest negotio,
 verba nos facere de *Transitione*, non eâ quâ transire dicitur dies
 l. Æmilius 38. ff de minor. annus l. ea quæ 5. § 1. C. de temp. in integr. rest.
 nec

nec quâ Actiones devolvuntur in Cessionarium, de quâ Dd. ad l. 1.
 & 2. C. de O. & A. Perez. in prælect. C. eod. n. 15. Cujac. l. 2. obs. 31.
 Vinnius lib. 2. Jurispr. Contract. cap. 56. Costal. in l. si cum emtore 16. ff
 de pact. Zæsius in comm. ff de O. & A. n. 67. nec eâ, quâ actiones Le-
 ge, citra cessionem, in aliam transferuntur personam v. g. â Pupil-
 lo in tutorem, adversus Contutores, si is solvit, nec actiones ei
 mandatae l. 1. § & si fortè 13. ff de tut. & rat. distrah. idq; favore Pu-
 pilli, ut ei facilius solvatur: â Procuratore in Dominum, si vel ex
 re Domini stipulatus sit, aut adquisierit l. quod procurator 68. ff de
 procur. l. in caussa 27. & seq. ff. eod. vel præsentè Domino contraxe-
 rit l. si procuratori 79. ff de V. O. â Domino alteri cavente, in eum,
 cui cavit l. pen. C. ad exhib. nec eâ, quâ herede decedente, intra
 tempus deliberationi præfinitum, jus deliberandi, quoad reliquum
 transmittitur ad quemlibet heredem l. 19. C. de jur. delib. ad quam
 transitionem requiritur (1.) ut reverâ sit delata hereditas, ita ut a-
 gnosci potuerit, cum quod non subsistit in personâ defuncti, trans-
 mitti nequeat Zæsius in comm. ff de vulg. & pupill subst. n. 10. (2.) ut
 delatam sibi sciverit, cum hæc Transitio fundetur in deliberatione,
 quæ non cadit in ignorantem arg. l. cum Aquiliana ff de transact. l. si
 per errorem ff de jurid. omn. jud. Vult. vol. 2. consil. Marpurg 29. n. 108.
 (3.) ut hereditas necdum sit adita, quia supervacanea esset transmis-
 sio, cum quod nostrum est, amplius fieri nostrum nequeat § sed si
 rem 10. Inst. de legat. § sic itaq; 14. Inst. de act. §. idem juris 2. Inst. de in-
 util. stipul. nec repudiata, quia per repudiationem omne jus præclu-
 sum est heredi l. nemo plus 54. l. 120. l. 160. § 2. l. 177. ff de R. J. l. tra-
 ditio 20. ff de adq. rer. dom. l. 1. C. de repud. hered. (4.) ut post mor-
 tem aliquid temporis sit superfluum: nam si annus præscriptus sit
 elapsus, cessat transmissio d. l. 19. C. de jur. delib. Zæsius in comm. ff
 de jur. delib. n. 4. & de acquir. vel omitt. hered. n. 7. n. 26. & seqq. nec
 eâ, quâ quodlibet jus defuncto competens defertur in heredem v. g.
 exceptio l. si â te 9. § 2. ff de except. rei jud. conditio l. qui alienam 54.
 § 1. ff. de evictio. & c. sed de eâ, quâ Actiones defuncto & in defun-
 ctum competentes in heredem tam activè quàm passivè migrant.
 Quemadmodum enim Testamenti factio vel est Activa, seu pote-
 stas faciendi testamentum, vel passiva, potestas scilicet accipiendi
 ex testamento § in extraneis 4. Inst. de hered. qual. & diff. l. filiusfam.

16. ff. *Qui test. fac. poss.* P. Greg. lib. 42. *syntagm. jur. univ. cap. 2. n. 1.*
ita actionum Transfio gemina est, Activa, quâ heres debitorem in
judicio convenire potest: Passiva, quâ heres Creditori tenetur.
Hocque sensu Donellus lib. 15. *comm. c. 44.* scribit Actiones here-
ditarias (quæ sc. cæperunt ex personâ vel in personam defuncti, &
in heredem transierunt Cujac. *in parat. C. de action. heredit.*) tam he-
redibus dari quàm adversus heredes. Ut autem sciatur, quænam
Actio Transitoria sit, quæ non, rem totam, paucis definitionibus,
breviter absolvemus.

XI. 1. *Omnes rei persecutoria actiones activè
& passivè in heredes transeunt.* arg. § 1. *Instit. de perpet. &
temporal. act. l. si pro fure 7. § ult. ff. de condict. furtiv. l. contra 6. § si
post. 3. ff. de act. rer. amot. l. hac jure 152. § 3. ff. de R. J. l. ex depositi 12.
l. ex contractibus 49. ff. de O. & A. Gifan. ad § non autem Inst. de perp. &
temp. act.* Rationem reddit Donellus lib. 15. *comm. c. 52.* quod hæ
actiones sint jura, quibus defunctus tenebatur: heres autem suc-
cedat in omne jus defuncti l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. J. l. pro here-
ditariis 2. C. de hered. act. Ant. Fab. lib. 18. *conject. cap. 19.* ejusque fa-
ctum præstare teneatur, nec eidem contravenire possit l. cum à ma-
tre 14. C. de R. V. Modest. Pistor. p. 4. q. 140. n. 2. Carpzov. in *Jurispr.
forens. part. 3. const. 14. n. 4.* Augustin. Beroj *consil. 150. n. 35. & 36.* P.
Greg. lib. 42. *syntagm. jur. univ. c. ult. n. 7.* Vult. vol. 3. *consil. Marpurg.
29. n. 180. & cons. 33. n. 14.* Cravett. *cons. 1. n. 3. & cons. 80. n. 18.* quod
& de heredis herede per multas successiones verum Vult. vol. 1. *cons.
Marpurg. 28. n. 32.* etiam si hereditas non fuerit lucrosa Bl. Angel. &
Castrens. in d. l. cum à matre C. de R. V. Si verò mediante inventa-
rio hereditatem heres adierit, rursus pœnitere, discedere, bonaque
hereditaria Creditoribus, vel Curatori bonorum relinquere, non
obstante confusione, potest, persanctionem Justiniani in l. ult. C.
de jur. delib. quam opinionem, jam olim à Monticulo in *prefatione
tr. de inventar. hered. n. 140. & c. 9. n. 331.* Baldo in l. debitori n. 4. C.
de pact. Phanucio de Phanuciis in *tr. de inventar. hered. pag. 5. n. 13.*
traditam comprobamus cum Principe Jctorum in Germaniâ &
nostri temporis Oraculo Carpzovio (sic eum vocat Pomeresch. in
prefat. ad lector. Annotat. in Instit. Imper.) cent. 1. *decis. 25.* utut con-
traria

traria sententia communi Dd. calculo fortean corroboretur. Nemo siquidem inficiari potest, commune scæpenumerò iudicium deprehendi falsum & erroneum, ita ut illi non semper tutò fidendum Myns. in dedicat. observat. Carpzov. decis. 33. n. 16. & 17. & in presat. Respons. jur. Quetta cons. 1. n. 12. Zas. lib. 1. sing. respons. cap. 1. num. 26. Bachov. ad Treuti. vol. 1. disp. 1. thes. 8. Zæs. in comm. ff de postul. n. 14. de lib. & posth. in fin. Schotan. in exam. jurid. pag. 14.

XII. Quemadmodum verò hæc Regula ampliatur procedere etiam in casu, quo lis necdum fuerit contestata cum defuncto, per jura thes. præced. adducta: ita etiam limitatur, quòd Actio Rei persecutoria in heredem detur in solidum, si fuerit ex conventionne: sin ex delicto, in istam tantum partem, quæ pervenit ad eum l. quod diximus 16. in fin. ff Quod met. caus. l. in heredem 26. & seqq. ff de dol. Perez. in prælect. Cod. ex delict. defunct. n. 2. Ratio, quoniam delictum ita afficit personam, ut extra illam & ab eâ relatio transferri haut possit, ne in heredem quidem, qui delicti successor non est, nec repræsentatio defuncti in delictis locum habere potest l. defuncto 6. ff de publ. jud. l. un. C. Ex delict. defunct. & ibi Dn. D. Brunnem. in exposit. quâ repræsentatione negatâ negatur quoque jus agendi contra heredem Bachov. ad §. ult. Instit. de obligat. Et qui obligatione ex delicto non tenentur, actione inde descendente conveniri haut quaquam possunt: quod enim teneantur in quantum pervenit, non est ex obligatione delicti, sed ex ipsâ re. Neque hoc significat, quantum omninò à defuncto & ex bonis ejus accepit & consecutus est, sed solum in quantum ipsius delicti intuitu lucris rem suam auxit, quia passim dicitur injustum lucrum & malè quæsitum heredi esse extorquendum, in eumque concedi actionem, quatenus ex eò locupletior est factus l. in heredem 5. ff de calumn. l. sicut pœna 38. ff de R. J. pervenisse autem videtur, quod vel momento apud heredem duravit l. cum Prætor 127. ff de R. J. l. videamus 17. ff Quod met. caus. licet in ejus personâ acquisitum non perseverat Bronchorst. ad d. l. 127. Heig. ad § 1. Inst. de perp. & temp. act. n. 8. & aliàs quoque generaliter conclusum, fraudi semper esse obviandum Ant. Fab. lib. 8. Cod. tit. 7. def. 8. n. 9. ne tertio obsit & ejus jus faciat deterius l. non debet ff de R. J. l. sed etsi ex dolo §. si quid ff de dol. l. ex duobus ff de neg. gest. l. 1. pr. ff de alien. jud. mut. caus. fact. l. 3.

pr. ff de transact. Excipitur tamen actio vi bonorum raptorum, *l. Prator. 2. §. fin. ff. vi bon. rapt.* Secus est de Jure Canonico, quo cautum, heredem teneri ex defuncti maleficio in solidum, quatenus scilicet facultates patrimonii patiuntur, etiamsi nihil ad eum pervenerit *c. fin. x de sepultur. cap. in literis x de raptor. cap. 9. x de usur. cap. si episcopum 3. caus. 16. quest. 6.* Hieron. Franc. *ad l. 88. de R. J. n. 13. Gometz. lib. 3. resol. c. 1. num. 85. Vasqu. lib. 3. contrav. 96. num. 28. Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 20. num. 22.* cujusmodi sanctionem vel dispositionem, quæ ex delicto in solidum heredem obliget, non ad poenam, sed ad restituendum quantum abest ei, in quem defunctus deliquit, quatenus sc. hereditas solvendo est, nihil à ratione alienum habituram existimat Bachov. *disp. 5. de Action. th. 4. per tradita Accursii in l. 1. ff. de privat. delict.*

XIII. Alia verò Conventionum ratio est, ex quibus quidem obligatur persona, sed propter res, quoniam omnis conventionis scopus est, ut aliquid consequamur ab eo, cum quo contrahimus *Vinnius lib. 1. Jurispr. Contract. cap. 24. Bachov. ad pr. Inst. de oblig. n. 2. & pr. Instit. de Act. num. 1. & disp. 1. de Action. th. 13. VVes. in parat. ff de O. & A. n. 8. & ibi Bachov. in not. Tabor. part. 3. partit. Element. sect. 3. th. 1. Strauch. disp. jur. 13. th. 1.* itaque in quem transit patrimonium & quicquid habuit defunctus, in hunc etiam obligatio, ex conventionem transit. Tàm enim heredibus nostris, quàm nobismet ipsis cavemus *l. si pactum 9. ff de probat. arg. l. si cum 3. C. de contrah. stipul. Perez in prelect. Cod. Ut action. & ab hered. n. 1.* quod adeò verum, ut quamvis defunctus de suo tantum facto promisisset, factum tamen heredis inclusisse intelligatur, ut quod ipse nondum dederit feceritvê, heres daret vel faceret *Bl. ad l. fin. C. de act. emt. Vult. vol. 3. consil. Marpurg. 33. n. 15. per l. fin. ff de cond. inst. & l. Are. scusa ff de stat. hom. utut dolus vel lata culpa intervenerit l. ad ea 157. Sult. l. hoc jure 152. § ult. ff de R. J. l. ex depositi 12. l. ex contractibus 49. ff de O. & A. l. 1. C. de hered. tutor. l. 2. C. de magistrat. conveniend.*

XIV. Ast, quid tenendum de Actione reclamatoriâ seu ad palinodiam jure civili incognitâ, moribusque & consuetudine receptâ? Civilis cum sit & quidem Rei Persecutoria, quia juxta opinionem vulgi perinde habetur, ac si fama conviciis læsa (quoniam talis quis esse creditur, qualis dicitur, & agnoscere injuriam, qui eam

eam non vindicat, sed inultam relinquit Bachov. ad § pena autem n. 3. Inst. de injur.) per recantationem restitueretur aut redintegraretur, quod apparet ex notissimis Opificum Statutis, secundum quæ injuriis affecti excluduntur, usque dum idoneam satisfactionem sibi fieri curaverint; non Pænalis, quia plerumque revocatio injungi solet, salvâ existimatione ejus, qui recantat Bachov. vol 2. ad Treutl. disp. 30. thes. ult. lit. A & in not. ad parat. VVes. ff de injur n. 17. Blarer. in repet. L. Diffamari C. de ingen. manum. Perez in prælect. Cod. de injur. n. 22. Myns. cent. 2. obs. 98. Gail. lib. 1. obs. 65. n. 5. Forster. part. 1. disp. ult. qu. ult. VVurmser. tit. 47. pract. obs. 8. & 18. Carpzov. part. 2. Pract. Crim. qu. 94. n. 15. & seqq. sibi ipsi contradicens part. 4. Jurispr. forens. const. 42. def. 13. n. 3. Vult. ad Spena autem Inst. de injur. n. 6. & lib. 2. Jurispr. Roman. cap. 19. Ostermann. vol. 2. Colleg. jur. Colonienf. disp. 33. th. 104. VVissenbach. disp. jur. civil. 43. th. 12. Dn. D. Bruneman. in disp. de Injur. An. 1650. hîc habit. posit. 6. lit. F. Dn. D. Henning. Groß. b. m. in disput. de Leg. Aquil. & Injur. Anno 1647. hîc habit. thes. 58. quibus add. Berlich. part. 4. concl. pract. 62. activè eam, in heredes transire arg. l. 1. & l. 9. C. de his quib. ut indig. non verò passivè hac vice tentabimus, non propterea quòd sit pænalis, quâ ratione utitur Carpz. d. def. 13. n. 3. sed partem quoniam est Rei Persecutoria ex delicto descendens: partem etiam quia aliquo modo videtur tendere ad vindictam, ut vult Bachov. d. disput. 30. th. ult. lit. A. cujusmodi actio contra heredes non intentatur.

XV. II. *Activè & passivè in heredes transeunt actiones omnes, si lis cum defuncto fuerit contestata*

l. omnes 26. l. constitutionibus 33. l. sciendum 58. ff. de O. & A. l. cum autem 52. ff de R. V. l. nam postea quam 9. § 3. ff. de jurej. l. sicut 3. C. de prescr. 30. vel 40. annor. Carpz. decis. 40. n. 3. Vinnius lib. 2. Jurisprud. Contract. cap. 63. & quidem in solidum l. un. C. Ex delict. defunct. Donell. lib. 15. comm. cap. 52. Gl. & Dd. comm. ad d. § 1. Inst. de perpet. & temp. act. Ratio est, quia tunc heres ex quasi contractu defuncti tenetur Perez in prælect. Cod. Ex delict. defunct. n. 3. Inducitur enim per litis contestationem quædam quasi Novatio & cum adversario quasi contrahitur l. licet tamen 3. § idem scribit l. depositi 5. § 2. ff de pecul. Gail. lib. 1. obs. 111. num. 1. Carpzov. cent. 1. decis. 40.

num. 10. & decis. 45. num. 11. Bachov. disp. 5. de Action. th. 4. Tacite
namque uterque contrahentium in id sese obligat, quod iudicis sen-
tentiâ constituetur Br. & Dd. ad d. l. 3. § 11. n. 6. Bronchorst. ad l. si-
cuti 38. ff de R. J. Ampliatur (1.) etiamsi in Prætoriiis preces tan-
tum Principi porrectæ & ab eo iudex datus l. 1. & 2. C. Quand. libell.
Princip. dat. Hartm. lib. 2. tit. 49. obs. 2. n. 13. Pruckm. vol. 1. cons. 22.
n. 26. Gail. lib. 1. obs. 64. n. 6. obs. 74. n. ult. Berlich. vol. 4. concl. 69.
num. 11. Vult. ad § fin. Inst. de injur. n. 6. (2.) quando per tergiver-
sationem ad litis contestationem perveniri non potuit l. 10. § 2. v.
idem Pompon. & ibi Dd. ff si quis caution. in judic. sistend. caus. fact.
Berlich. part. 5. concl. 70. n. 5. Dn. D. Brunnem. in expos. Cod. Ex delict.
defunct. modò Actor in morâ non fuerit, sed fecerit quicquid po-
tuerit, ut litis contestatio intercederet. Thoming. decis. 24. Carpzov.
part. 4. Jurispr. forens. const. 12. defin. 9. n. 8. Limitatur locum ha-
bere tantum in iis Actionibus, quæ antè defuncto & in defunctum
competierunt, ut porrò continuentur & ab heredibus peragantur
Bachov. ad § 1. Inst. de perpet. & temporal. act. n. 4.

XVI. III. *Actiones pœnales activè in heredes
transitoria sunt.* l. 1. § 1. ff. de privat. delict. l. si dominum 47. ff.
de furt. l. inde 23. §. hanc actionem 8. ff. ad L. Aquil. Dd. comm.
ad §. 1. Instit. de perpet. & tempor. act. Ratio est, quia (1.) per
mortem alterius delinquentis conditio melior fieri non debet:
(2.) per delictum de bonis defuncti aliquid diminutum si est &
bona minora alterius facto pervenerunt ad heredes, meritò ipsis
heredibus Actio deneganda non est: (3.) repræsentatio hîc in
personâ heredis commodè locum habet. Bachov. disp. 5. de Action.
thes. 5. Ampliatur, quamvis Reus litem cum defuncto necdum
fuerit contestatus Dd. comm. ad d. § 1. Limitatur locum non habe-
re in delictis iis, quæ fortunas defuncti non minuerunt Theoph. § 1.
Inst. de perpet. & temp. act. quorumque actiones vindictam meram
persequuntur, qualis est actio injuriarum l. injuriarum 14. ff de injur.
cùmque hæc limitatio locum quoque habeat in actione calumniæ,
revocatoriâ donationis, in factum quæ datur prohibito mortuum
inferre, quæ datur Parentibus & Patronis contra edictum Præto-
ris in jus vocantis, querelâ inofficiosi & si quæ similes; ex itidem
heredibus

heredibus non concedentur *l. his solis C. de revocat. donat. l. 4. ff. de calumn. l. 9. in fin. ff. de Relig. l. 6. §. ult. ff. de inoff. testam. Nov. 116. c. 5. Bachov. in not. ad VVes. parat. ff. de injur. n. 13. de injus. vocand. n. 8. & Ne quis eum qui in jus. voc. n. 4. & ad d. §. 1. n. 2.* Identitas enim rationis non patitur determinationem casuum similium esse diversam *l. posthumus ff. de injust. rupt. test. l. non possunt 12. ff. de ll. Dyn. Muxellan. ad rubr. de R. J. n. 11. Vinnius cap. 4. aditus ad Jurispr. Contract. Sutherland. dissert. 1. th. 12. Sam. Neand. Parens meus in tr. de J. & J. th. 74.*

XVII. IV. *Actiones pœnales passivè in Heredes Transitorie non sunt.* Ratio quia delicta morte delinquentis extinguuntur *Pac. ad l. un. C. Ex delict. def. n. 6. Dn. D. Brunnem. exerc. Justin. 24. ad tit 12. suosque debent tenere autores l. 1. §. fin. ff. de priv. delict. l. sancimus 22. C. de pœn.* Pœna quippe constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constituitur, desinit *l. si pœna 20. C. de pœn. Ungepaur. exerc. Justinian 13. q. 8. Vinnius lib. 2. Jurispr. Contract. cap. 63. Donell. lib. 15. comm. c. 52.* Maxime enim iniquum esset damnari heredem, qui non peccavit, aut sententiam inanem in eum proferre, quæ non nisi summam injustiam executioni mandari posset. Limitatur (1.) nisi lis cum defuncto fuerit contestata *arg. eor. que th. 15. allata sunt.* (2.) Actiones pœnales fuerint ex contractu *l. cum autem 23. §. si servus & seq. ff. de edil. edict. Gifan. ad §. non autem Inst. de perpet. & temp. act.* De mixtis Actionibus hoc esto judicium, ut, quatenus pœnæ persequendæ causâ intentantur, pœnaliæ naturam induant: quatenus verò Actor repetit id, quod sibi abest è patrimonio, pro Rei persecutoriis, quantum ad transitionem, sint habendæ. Atque hæc ita sufficient. Potuissem quidem, imò etiam debuissim, uberius & accuratius omnia pertractare, sed festinabundus animus carbatinis quasi crepidis ad metam properavit, jucundam spei dulcedine lactatus, fore, ut ne cujusquam incurrat reprehensionem, quod non exquisitam ubique usus sit calami crenam, sed quandoque carbonariam saltem trutinam adhibuerit. Et cum summa etiam hominum prudentia non raro palpet in tenebris, togatorumque doctissimo Varro & Poëtarum maximo Homero aliquando somnus obrepserit; facile veniam, sicubi erratum, impetrabo, utpote quam nemini esse

ni esse denegandam optimè censuit Antiquitas. Hieronym. in Hoff
Ration. stat. 25. in fin.

ADDITAMENTA.

1. Si quis Angelum Gabrielem heredem instituat, actiones activè & passivè in eum transeunt. *arg. l. ult. C. de S. S. Eccles.*
2. Jurisprudentia Romana non est Individuum.
3. Legitima non est juris naturalis debitum.
4. Divisio Sponsalium in de præsentis & de futuro bona non est.
5. Scriptura, præter expressam legislationem, ad substantiam juris scriptæ non pertinet, *utut id velint novissimè Locamer. quest. Inst. 8. Biccus §. 39. præloq. rer. quotid.*
6. Jamdiu Metaphysici eos Jctos, ceu absurdos mirati sunt, qui ad severare non erubuerunt, absurdam esse justitiæ humanæ in abstracto considerationem.
7. Princeps de facto nihil facit.
8. Princeps de jure omnia facit.
9. Philosophia Contemplativa Ancilla est Jurisprudentiæ.
10. Ancillæ virgines dici non merentur.

DEO SIT LAUS HONOR & GLORIA.

In sita naturæ quem vireus dotibus ornat,
Pieridum citius culmen adire potest.
Ille sapit demum, Vates Bœotius inquit,
Nativâ ingenii qui bonitate sapit;
Alterius discens ductu comitatur euntem;
Ceu Iovis, ore loquax corvus, avem sequitur,
Inde Neandriades ex TE spes magna refulget
Indole quippe cales, ingenioque viges.
Nec torpore finis largum sterilefcere fundum,
Sed recolis studiis nocte dieque bonis.
Tradita, felici primis fundamine ab annis
Quæ schola Philosophum ponit acuta, tenes,
Quin etiam Themidos sacrata palatia visis,
Atque animas legum pulpita docta sono.
Ipsa Tibi templum meriti nunc pandit honoris.
Ingredere, atq; Deo cuncta tributa refer.

(Olymp. 6

Ita Dn. RESPONDENTI

accinebat

M. Adamus Becker.

35)0(58

00 A 6456

ULB Halle
002 929 244


3



R

Worm







B.I.G.



Farbkarte #13

9.
 JURIDICA,
 NUM IN
 TRANS-
 ONE
 ine Trifagio,
 ssu
 rum Ordinis,
 randenburgicâ,
 SIDIO
 RI
 Amplissimi,
 CI de JENA,
 ofessoris Publici
 rii,
 rceptoris sui perpetuo
 li,
 fensabit
 US NEANDER,
 ifatus.
 Maij. M DC LIV.
 FURTI,
 US RÖSNERUS.

